



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

V. De accusatione sacerdotum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

iuxta quod culpa fuerit, & ipsius ecclesie dignitas: quia non omnes ecclesie parem emendationis dignitatem habent, licet eandem sanctificationis benedictionem consequantur. Capitalis ecclesie pacis fractio in rebus emendabilibus est sicut infractio regie pacis, id est \* quinque libris in Anglorum lege. Mediocris ecclesie, centum viginti solidos, id est vuita regis: & adhuc minoris, vbi parua parochia sit, & atrium tamen sit, sexaginta solidos: & campestris ecclesie, vbi non sit atrium, triginta solidos.

Christianis omnibus sincere conuenit sanctuaria & ordines & Deo dicata loca summa discretione, tota deuotione pacificare, custodire, venerari, iuxta modum singulorum; & qui scit intelligat.

## IV.

Magnum est & mire precipuum, quod ad velle Dei pro salute populi faciendum creditur sacerdoti; & magna coniuatio multaue benedictio est qua propellit diabolum, & in fugam redigit, quoties, diuina cooperante potentia, beatorum spirituum prosequente custodia, per manus temporalium sacerdotum sacri baptismatis vel eucharistie sacrosancta mysteria celebrantur.

## V.

Si contingat sacerdotem regulariter viuentem aliqua criminum compellatione pulsari, se purget solus solum; si compellatio simplex sit; in triplici calumnia, cum duobus sui ordinis.

## VI.

Diaconus regularis in simplici compellatione cum duobus, in triplici cum sex diaconibus se adlegiet.

## VII.

Plebeius sacerdos, qui regularem vitam non habet, purget se sicut regularis diaconus.

## VIII.

Si quis altari ministrantium accusetur, & amicis destitutus consacramentales non habeat, vadat ad iudicium, quod Anglice dicitur Corfined, & fiat sicut Deus velit, nisi super sanctum corpus Domini permittatur vt se purget.

## IX.

Si quis ordinatus homicidii particeps consilio vel auxilio fuisse compelletur, purget se cum parentibus suis, quo-